UDALRICUS DE VöLKERMARKT

Italien (?), 2. Hälfte 13. Jh.

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26524
Copyright: Admont, Benediktinerstift

dominum meum illa sciverit cum esse servum tempore contractus. Secus est si ignoravit. Si tamen sua agnovit eam postquam contraxit eam esse ancillam videtur in coniugium consensisse. Infine notabis quod ille qui ignoranter contraxit cum ancilla statim cum hoc sciverit poterit resilire, cum in eius favorem hoc sit introductum et contradicente muliere. Potest in coniugium ratificare si voluerit illa contradicente. Et si reclamet non est super hoc audienda. Si tamen mulier antequam vir in eam consentiat cum alio contraxerit, tenet secundum, cum primum nullum fuerit, cum a principio ignoravit eam esse ancillam ipse vir. Et hic locum habet error conditionis.

De natis ex libero ventre.

Liberi dicuntur a libertate. Est autem libertas naturalis facultas faciendi quicquid libet facere nisi vi aut iure prohibeatur. Servitus autem est constitutio iuris gentium qua quis alieno dominio contra naturam subicitur. Liberi autem sunt qui aut nascuntur liberi aut fiunt. Nascuntur ut illi qui cum nascuntur statim liberi fiunt. Et tales dicuntur ingenui. Fiunt autem liberi qui de servitute liberantur. Item filius sequitur conditionem matris et non patris. Infine notabis quod illi qui Saracenis arma ministrant efficiuntur servi capientium. Item scias quod ecclesia libertates tueri tenetur.

De cognatione spirituali.

Cognatio spiritualis est propinquitas proveniens ex datione sacramenti vel ad sacramentum detentione. Ut ecce sacerdos baptizat puerum, tu suscipis eum de manu sacerdotis. Uterque vestrum est spiritualis pater pueri. Huiusmodi autem cognationis tres sunt species. Una est inter te et illum cuius filium suscipis et uxorem eius si sit mater suscepti. Et hec est vera compaternitas. Sic et tu et uxor tua quam tu cognoveras te mediante est commater parentibus infantis. Item inter te et illum quem suscipis est spiritualis proximitas. Ut ecce ille est meus filius spiritualis et ego sum illi pater spiritualis. Et hec appellatur secunda species cognationis. Et hee persone inter se copulari non possunt. Et hec tertia species similiter contrahitur inter baptizantem et baptizatum. Item nota quod ille vel illa quem vel quam de sacro fonte suscipio sunt tres spirituales fratres filiis meis nec potest inter eos coniugium consistere. Alii vero filii et filie quibus mediantibus compaternitas non est contracta bene possunt adinvicem copulari. Et omnes persone de quibus per speciebus cognationis non possunt inter se contrahere. Et si contraxerint separantur. Item nota.